FR. MODESTUS CONTRATTO

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPPUCCINORUM

Miseratione Divina, et S. Sedis Apostolicæ gratia

EPISCOPUS AQUENSIS

Universo Civitatis, Diœcesisque Clero

Salutem, et Spiritum Sanctificationis.

Audite hoc Sacerdotes . . ., quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum. OSEE V, I.

Iuxta fidem datam idem prosecuturi argumentum, quod epistolæ anni ultimi elapsi suppetiit materiam, de damnis scilicet, quæ ex improba Clericorum vivendi licentia consequuntur, non possumus, quin in ipso sermonis exordio territi vos terreamus, Venerabiles Fratres, ut et ægritudinis societas vestra mentis nostræ refrigerium præstet ardori. Libenter taceremus, ni Jsaiæ exemplo timeremus ne silentium culpæ Nobis verteretur (1): præterea: dissimulare, aut ulcus sanie tumidum summa manu palpare, vel malagma superimponere, aut unguento ungere, non ferro aperire, quid prodesset?: non esset misericordis chirurgi, sed crudelis, si cauterio non adurens nunquam vulnus tabificum curare valeret. Libere ergo proferentes, quid de hujusmodi Sacerdotibus sentiamus, antichristos esse in Dei Ecclesia speciali abominationis nota, Scripturæ ac Patrum auctoritate freti, pronunciamus. Terribile dictu, at verum!. Sunt enim et ipsi filii perditionis, homines peccati, seductores in omni seductione iniquitatis (2); quia, cum sedeant in templo Dei, et altis divinisque officiis, quibus funguntur, se Deos esse ostendant in populis: sicut nutantibus colum-

(1) VI, 5. (2) 2.a ad Thessal. II, 3, 10.

nis, quibus domus regitur, et ipsa ruit; ita damnandis operibus vacantes Ecclesiastici, qui populi christiani capita sunt, columnæque, tota multitudo eorum pravitate inficiatur, necesse est. Quod ut ea, qua par est, claritate ostendamus, Christi Domini missionem in terris pensemus; et huic nitidissimo speculo malæ eorumdem conversationis effectus obiiciamus, videamusque, si hi proprio vocabulo antichristi non sint vocandi, idest contrarii Christi Domini operibus. Dolorem lenit nostrum in hoc evolvendo terrifico themate dulcissima consideratio. Nos Sacerdotes alloqui, qui claro vitæ genere non tantum Nobis gaudio et coronæ sint; verum et fidelibus sanctæ conversationis odoramentis exemplo, et formæ: quo fit, ut, si contristemur de purgamentis in Dei Ecclesia, gaudeamus in Nostra Diœcesi, Dei miserante gratia, plurima florere Ecclesiastici decoris ornamenta.

Ad hoc itaque nobiscum Christus vixit in carne, ut præferret nobis exempla justitiæ, verba sunt Divi Augustini; ad hoc pro nobis mortem subiit, ut conferret munera salutis æternæ: hominem ad hoc induit, ut erudiret: ad hoc tradidit, ut redimeret: ad hoc resurrexit, ut in Deum sanaret: vitam ad hoc deposuit, ut donaret: mortem ad hoc suscepit, ut vinceret (1): sive aliis verbis: in hunc venit mundum Redemptor noster, ut verbo, et exemplo gloriam Patris sui quæreret, et dilataret, sicut ipse testatur: non quæro gloriam meam; sed honorifico Patrem (2): ut peccati opera destrueret, Jsaia dicente: iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (3); ut faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum (4); et Ecclesiam sibi dulcissimo desponsationis nexu junctam gloriosissimam redderet (5), decoreque fulgentem. Quæ omnia cum adamussim et perfectissimo modo adimplesset: propter quod, inquit Apostolus, et Deus tamquam in præmium fidelis dispensationis ministerii ei concrediti exaltavit illum, dedit illi

(1) Sive Auctor serm. V de passion. Domin. in append. opp. ejusdem Tom. XVI, edit. *Venet.* in 4.°
(2) Joann. VIII, 49, 50.
(3) XXVII, 9.
(4) ad Tit. II, 14.
(5) ad Ephes. V, 27.

nomen, quod est super omne nomen (1): et benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in illo (2). Quoniam vero statutum erat, ut, superato mortis imperio, inferni vinculis destructis, et captivitate nostra captivata per passionem suam, ad cœlum ascenderet, Sacerdotes ordinavit, qui essent sui vicarii, atque legati ad perficienda ea, quæ crucis sacrificio suo deerant (3), nempe ad perpetuandos Redemptionis fructus in Ecclesia sua prædicando, quæ Ipse prædicavit, dissuadendo, quæ dissuasit, persuadendo, quæ persuasit (4), exempla sua sectando, quæ reliquit in omni virtutum genere, apud homines gloria et honore coronandos, nomineque grandi decorandos, sicut fuit nomen virorum illorum, per quos salus facta est in Israel (5), si laudabiliter hæc omnia præstarent juxta illud, quod Sacerdoti Heli Deus promisit se eos glorificaturum, a quibus glorificabitur (6), et populum omnibus replendum benedictionibus in illis. At Sacerdotes mali nec Dei gloriam amplificant, nec peccati opera in populis, quibus præsunt, destruunt, nec Ecclesiam lætificare queunt: et ideo etiam ignobiles (7) contemptibiles, et humiles in omnibus populis erunt (8); atque in illis fideles omnibus subiacebunt jacturis. Singula breviter expendamus.

Præprimis illos Dei gloriam dilatare non valere asserimus. Patrem cœlestem ille Ecclesiæ minister glorificat, qui nedum verbi Dei dispensatione mirabilia ejus præstita pro generis humani salute, prædicat, innumerabilia beneficia in nos collata exponit, ejusdem dilectionem, qua proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (9) peccatis nostris oneratum (10), magnificat: sed præcipue, qui legis divinæ sanctitatem, et observatu facilitatem potius exemplo, quam voce comprobat; quia homines magis oculis credunt, quam auribus, idest fortius retrahuntur a peccandi consuetudine,

(1) ad Philip. II. 9.
(2) ad Ephes. I, 3.
(3) ad Coloss. I, 24.
(4) S Bernard. serm. ad Pastor. in Synod. n. II.
(5) 1.° Machab. V, 62.
(6) 1.° Reg. II, 30.
(7) Ibid
(8) Malach. II, 9.
(9) ad Rom. VIII, 32.
(10) Isai. LIII, 12.

et efficacius ad virtutis exercitium alliciuntur per exempla, quam per verba. Idcirco, qui vult Dei gloriam promovere, prius studeat se auditoribus exhibere vitæ conversatione, quales cupit eos fieri: alioquin, si dicat non esse furandum, furetur, non esse mœcandum, mœchimonium faciat (1), impietate sua horum alterutrum suadet: aut se non credere vera esse, quæ in Scripturis leguntur de execrabili peccati malitia, de odio, quo illud prosequitur Deus, deque pœnis peccatoribus in inferno reservatis sine fine duraturis; aut se putare Deum esse truculentum tyrannum, qui legis præcepta talia hominibus imposuerit, quæ practice ipsis impossibilia fiant, jugumque diaboli levius, et suavius esse, quam Christi. Hinc est, quod Deus hujusmodi Sacerdotibus prohibet, ne prædicationis officium assumant (2); quia per transgressionem eorum, quæ aliis insinuant, ipsum inhonorant, et blasphemare faciunt nomen Ejus in gentibus (3) uti docet Paulus. Quæ verba expendens Auctor operis imperfecti in Mattheum, ad rem nostram sic egregie disserit: per illos quidem Doctores, qui docent, et faciunt, magnificatur Deus: per eos autem qui docent, et non faciunt, blasphematur. Ut puta, si bene doceant Sacerdotes, et melius vivant, videntes gentiles dicunt: benedictus Deus, qui tales habet servos! vere enim eorum Deus verus est Deus. Nisi enim Ipse esset justus, nunquam populum suum circa justitiam sic teneret...: si autem bene doceant, et male conversentur, videntes dicunt: qualis est Deus eorum, qui talia agunt? numquid sustineret eos talia facientes, nisi consentiret operibus eorum (4)?

Quamquam laudatus Doctor ad Apostoli sensum præfata verba solis gentilibus accomodaverit; attamen quadam rationis paritate eumdem Dei honorem minui apud laicos etiam christianam profitentes fidem, indubium est. Nam Dei honor gloriaque expostulant, ut fideles illum perfecte cognoscant, toto corde diligant, pietatis operi-

(1) ad Rom. II, 21, 22. (2) Psalm. XLIX, 16. (3) ad Rom. II, 24.
(4) Homil. X in illa verba Matth. V: *vos estis sal terræ*.

bus colant, talesque se exhibeant, quales eorum professio exigit, ne de illis dicatur, quod paganis exprobravit Apostolus: qui, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt (1). Debent igitur esse præsentium rerum contemptores, cœlestiumque bonorum appetitores, seduli perfectionis christianæ cultores, omnibusque virtutibus exornati, sicut decet filios Dei, qui vocantur genus electum, gens sancta (2), ut Pater cœlestis glorificetur per ipsos in terris, et plenissime in patria, ubi erit perfecta, ut ait S. Augustinus, ejus clarificatio, quia summa gloria (3): unde etiam Christus Dominus fidem in eum tenentibus dixit: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (4). Verum, sicut languente capite, omnia alia membra ægrotent, oportet; ita, ubi Sacerdotes mali commorantur, illa plebs de eorum infirmitate participat. Nullus ibi devotionis affectus, nullus pietatis fervor, nullus Dei gloriæ zelus apparebit. sed animi vigor languescet, charitas refrigescet, religionis officia dissimulabuntur, et timoris Domini aculeus obtundetur. Sic enim Scriptura testatur: per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverunt urticæ, et operuerunt superficiem ejus spinæ (5). Quis sit iste piger, atque vir stultus, cui magnus Paterfamilias agrum Evangelicum locavit, nemo est vestrum, Ven. Fr., qui ignoret nos designari, qui ineffabili privilegio in Dei agro vineaque colendis conducti fuimus, ut iremus, et fructum afferremus, et fructus noster maneret (6). At qualem fructum confidere poterit se relaturum divinus Locator ex illius villicatione, qui suæ excelsæ vocationis oblitus exempla de se pravitatis præbet eis, quorum mores ipse corrigere, a peccati corruptione intactos servare, et meliorare ex officio tenebatur, nisi spinas, tribulos, atque zizaniam? quo pacto alios accendere valebit, si ipse in sancta Dei

(1) ad Rom. I, 21.
(2) 1.a Petri II, 9.
(3) Tract. CV in Joan. c. 17.
(4) Matth. V, 16.
(5) Proverb. XXIV, 30, 31.
(6) Joan. XV, 16.

dilectione frigescat? Quomodo corda fidelium ad cœlum sublevare poterit, si proprium terræ conglutinatum foveat? qua fronte eos ad suam salutem totis viribus procurandam excitabit, si animam negligat propriam? Sal terræ sumus, dicente Christo: vos estis sal terræ (1): condimento ergo dati sumus plebis Dominicæ: si porro sal infatuatum fuerit, in quo illa salietur? Necesse est igitur, ut populus christianus moribus inconditus fiat, mortiferus torpor illum invadat, et tamquam ager, vel vinea inculta, sepe disciplinæ destructa, et præceptorum divinorum macerie diruta, qua a bestiarum incursu, et devastatione defendebatur, sylvescat. Ita porro. Væ populo, apud quem commoratur Sacerdos nequam! Omnium vitiorum monstra impune ibi serpent, adeo ut apud illum impleatur: in ipso pertransibunt omnes bestiæ sylvæ (2).

Quærit Summus Pontifex Innocentius III, qua de causa in lege veteri præciperetur, ut Sacerdos pro sui peccati expiatione tantundem offerret, quantum tota populi multitudo pro suis transgressionibus? Et digna tanto Pontifice sapientia sibi respondet, quoad effectus Sacerdotis culpam totius populi coæquare peccato: quia suo delicto totam facit delinquere multitudinem (3), juxta id, quod habetur in ipsa lege: si peccaverit Sacerdos . . . delinquere faciens populum etc. (4). Christianos proinde sibi commissos, qui talis est, non salvat; sed subvertit, et seductor fit in omni seductione iniquitatis (5). Credite, Ven. Fr., nullam esse valentiorem pestem ad inficiendos fidelium mores perversa Ecclesiastici viri conversatione! ex plebis sibi concreditæ salvatore fit peremptor, ex custode latro, ex patre parricida, ex pastore lupus, ut perdat, et mactet gregem Domini. Scripturas perlegite, Patrum scripta scrutamini; experientiam consulite, et omnes in id convenire vos certiores reddetis: peccata Sacerdotum immoralitatis caussam esse in populo. Certe,

(1) Matth. V, 13.
(2) Psalm. CIII, 20.
(3) Serm. 1.° de consecrat. Pontific.
(4) Levitic. IV, 3.
(5) 2.a ad Thessal. II, 10.

non soli concidunt: nam eorum patrocinio sulfulti nutantes in divinæ legis observatione liberius peccant, quietius, illis ducibus, se in vitiorum cœno alunt, et procacius omnia sibi licere autumant. Ita siquidem Christus Dominus S. Birgittæ revelavit: viso exemplo pravo Sacerdotum, peccator fiduciam peccandi sumit; et incipit de peccato, quod prius erubescibile reputabat, gloriari (1). Eo ferme modo, quo veteres pagani diabolica prorsus astutia ad pudorem hominibus peccandi tollendum vitiosissimos quosque illorum in Divorum numerum retulerunt, rati, quod si populus hisce turpissimis numinibus, puta: Bacco ebrioso, Veneri impudicæ, Jovi adultero etc. thus adoleret, eaque veneraretur, nedum non puderet ipsum illorum vitia imitari, sed quodam cultus genere ad eadem perpetranda scelera obligaretur: non absimili modo infernalis serpens plebi ob oculos ponit Sacerdotis aut superbia elati, aut ambitione tumidi, aut avaritiæ labe infecti, aut carnis sordibus impliciti, aut dissensionum, rixarumque fautoris exemplum, quia haud ipsum fallit nullum magis exitialem in aerem diffundi vaporem posse ad homines peste interimendos, quam illius improbitatem, quæ celerrime communicatur virulenta iis, qui cum illo conversantur. Hinc in sacra Scriptura ministri Ecclesiæ mali appellantur laqueus, et rete expansum (2): nam sicut aucupes laqueos, et pedicas tendunt, ut volucres decipiant, et capiant; sic et antiquus generis humani hostis ad aucupandas animas fidelium ipsis in offendiculum ponit Sacerdotem impium, quia non latet insidiosum colubrem, qui semper circuit quærens, quem devoret (3), ita homines ut plurimum a natura esse comparatos, ut illorum vestigia sequantur, quos dignitatis præstantia tamquam Dei nuncios, ac patres suos colunt, et sibi magistros in vita spirituali datos esse noscunt.

Equidem non excusabuntur fideles coram æterno Judice, qui hos patronos, defensoresque quærent ad ex-

(1) In revelat. ejusdem lib. 4, c. 32. (2) Osee V, 1.
(3) 1.a Petr V. 8.

cusanda peccata sua, quos comites habebunt ad pœnam; sed semper verum est, eos tam pravo exemplo ali, et difficillime a vivendi licentia retrahi posse, si inspiciunt ipsos pietatis magistros peccatores. Quamobrem si sæculo elapso, et hac nostra ætate vidimus Redemptoris nostri hæreditatem pretiosissimam pessumdatam, et populum acquisitionis manus conjungentem suas cum fidei nostræ hostibus attendentem potius spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum (1), quam purissimis sacrarum Scripturarum oraculis, ambulantem juxta concupiscentiam suam (2), et evangelium Christi humanum evangelium facientem: et nunc ingemiscimus conspicientes juvenes indomitos, puellas inverecundas, mulieres effrontes, viros impudicos, conjugatos incontinentes, senes irreligiosos, divites immisericordes, pauperes superbos, nobiles immites, plebejos odio inardescentes, operarios dolosos, mercatores injustos, et fere omnes cujuscumque ætatis, conditionisque pudendis incumbentes actibus, unde nam tantorum malorum caussa repetenda est, nisi ex enormibus scandalis, quæ plerique nostrum oculis vidimus, aut audivimus e sanctuario publice egressa, quæque terram polluerunt (3)? Quid mirum idcirco, si tam amaros fructus irreligionis, impietatisque colligimus ex ministerio nostro, Ven. Fratr.? Quemadmodum validioribus morbis capite vitiato reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari, verba sunt Divi Ambrosii; ita et hi, qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentium Sacerdotum vitiositatis mortale infecerit virus (4). Et ideo, si vel ipsa fides videtur exulare a finibus nostris, non aliunde ratio exquirenda, quam ex scelerata quorumdam Sacerdotum vita, sicut spiritu prophetico prædixit S. Bernardinus Senensis: ex hac enim plurimi vacillantes; immo multoties deficientes in fide non credunt, quod illa, quæ de nostra fide sunt scripta, sint vera; sed scripta

(1) ad Timoth. IV, 1.
(2) 2 a Petri III, 3.
(3) Jerem. XXIII, 15.
(4) de dignitat. Sacerdotal. c. V.

fuerint non Dei spiramine, sed humana et deceptoria inventione; clavium virtutem non credunt, ecclesiastica sacramenta despiciunt, animam esse non putant, vitia non evitant, virtutes non reputant; non horrent inferos, cœlestia minime concupiscunt, sed transitoriis cordialiter adhærentes, hoc sæculum sibi statuunt paradisum (1). Quandonam plenius hæc, et cumulatius confirmata inspecta sunt?.

Quare comparantur merito alicujus fontis publici veneficis, quorum opera adventantes ad illum aquam bibituri, toxicantur. Non exageramus, id proferimus, quod Nos Patres edocuerunt. Si enim Plutarcho licuit hanc criminis notam in eos impingere, qui falsis dogmatibus Principem instituendum imbuunt, dicenti: hi non in unum calicem venenum lethale mittunt, sed in fontem publicitus scatentem, quo omnes uti vident (2): et Tullius Iudicibus Romanis dicere non est veritus: splendor vester facit, ut peccare sine Reipublicæ detrimento, et periculo non possitis (3); quid ni, si idem judicium ferimus in eos, qui velut fontes publici habentur divinæ scientiæ, ad quos accedunt laici aquam salientem in vitam æternam (4) hausturi; sunt enim in lege doctores, populorum primates, columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis omnis multitudo credentium innititur (5); si hæreticis peiores haustus pravis exemplis venenatos præbeant fidelibus? Regitur quippe, atque floret Respublica non stantibus mœnibus, sed moribus juxta illam vel ipsius Ennii poetæ gentilis sententiam: *moribus antiquis res stat Romana, virisque*: non militum turmis, sed virtute; non terrena opulentia, sed animorum concordia, aequissima justitiæ lance, et inviolabili legis evangelicæ custodia: scriptum enim est: miseros facit populos peccatum (6). Quod, si qui præpositi sunt, et constituti duces et lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipien-

(1) Serm. 19 de 12 pœnitent. impediment. in Feria 2 post Dominic. 2 quadrag. (2) citat. a Patr. Mansi tractat. XXII discurs. 29, n. 8.
(3) apud Casini: prediche al palazzo Apostolico: predic. XXVI, n 15. Tom. 1. (4) Joan. IV, 14.
(5) S. Prosper Aquitan. de vit. activa Sacerd. c. 2. (6) Proverb. XIV, 34

tium habentes formam scientiæ, et veritatis in lege (1) hanc ipsi primi honestatis, probitatis, pietatisque regulam infringant, nullum dubium, quin suo exemplo ordinem perturbent, mores publicos corrumpant, nequitiam inferant, et infundant in subiectos; sicut graviter notat Concilium Burdigalense: Clerici vita omnium oculis sic exposita est, ut inde bene, vel male vivendi communiter exempla duci soleant: ex quo, ut vitiosi Principes, sic flagitiosi Sacerdotes perniciose de Republica merentur, quod non solum vitia concipiant ipsi; sed ea infundant in civitatem (2). Dignus est, qui audiatur celebris Massillonius eleganter hoc versans argumentum: *i costumi pubblici non hanno cominciato a corrompersi, se non colla corruzione degli Ecclesiastici, il disordine come lo dice lo Spirito Santo, ha avuto principio dalla casa di Dio. Così siamo noi soli, che decidiamo per modo di dire della perdita, o della salute dei popoli, è sopra noi soli che s'aggira l'aggrandimento, o la diminuzione del Regno di Gesù Cristo sulla terra; la consumazione, o la distruzione della sua opera; il frutto, o l'inutilità del suo sangue, e della sua causa* (3). Jure ergo qui male operantur a Divo Isidoro Pelusiota vocantur urbis piaculum, Ecclesiæ labes, libertatis probrum, eorumque, qui cum ipsis consuetudinem habent, pestis, ac pernicies (4).

Ubi porro Ecclesiæ matris gaudium? ubi decus? Formosissima hæc Christi Sponsa mundata lavacro aquæ in verbo vitæ, ut illam sibi exhiberet gloriosam (5), decoloratur in pace, et in tranquillo in sterilitatem emarcescit gloriosa ejusdem fœcunditas, quæ inter sævientium tyrannorum, hæresumque tempestates validas speciosissimos Deo filios pariebat: post splendidos victoriæ triumphos ingloria apparet, quæ pugnæ tempore inimicorum suo-

(1) ad Rom. II, 20.
(2) Cap. XXI de vit. et morib. Clericor. in collect. Concil. Labbei Tom XXI, pag. 771.
(3) Discours Synodaux: disc. V sur les suites funestes du dereglement des Pasteurs
(4) Epistolar. lib. III, epist CCXXIX.
(5) ad Ephes. V, 27.

rum tela in ipsos retundebat: facie lacrymis sulcata, et pene mœrore confectam se exhibet in portu, quæ in contradictionum pelago viriliter; et serena fronte furentium adversariorum suorum ferinam nedum non pertimescebat, sed et impavide provocabat rabiem. Qua de causa?. Mysterium istud explicat Jeremias: nempe propter peccata Prophetarum, et iniquitatem Sacerdotum ejus (1), egressus est a Filia Sion omnis decor (2). Usquedum ejusdem Sacerdotes morum sanctitate emicarunt, quo magis tribulationum aquæ illam absorbere videbantur, eo magis tamquam arca Noetica inter tumentes diluvii fluctus, imperterrita supernatans suis obsistentes progressibus persecutores devicit, parata lassavit tormenta, proscriptionis decreta adversum se lata ab Imperatoribus, in suæ libertatis, immunitatis, et pacifici imperii diplomata commutari coegit: et Sponsi sui vexillum, quod Judeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia erat (3), honoris et gloriæ tessera, regumque coronis præfixum tamquam monile pretiosissimum factum est. Cum autem ipsi per vitam reprobam dispersi fuerint in capitibus platearum (4), et ingressi in vias gentium latas, Ecclesiæ facies immutata est, gloria ejus decolorata, et pulchritudo evanuit. Ad hoc assertum probandum sufficit, quod legimus in Divi Ambrosii libris: cum enim ad hujus Pontificis aures pervenisset quamdam virginem Deo consecratam lapsam fuisse, in has erupit lamentationes: se perdidit, et Ecclesiam maculavit..... a rabidis hominibus nomen laceratum est sanctitatis..... hinc æstus animo meo: hinc insanus dolor, quia unum malum bona plurima secum traxit, et unius nubecula peccatricis pene totam lucem obscuravit Ecclesiæ (5). Bone Deus! quid fuisset dicturus, si de alicujus Sacerdotis casu egisset? quæ comparatio esse potest inter utriusque crimen?. Est quidem virgo Ecclesiæ decus, et ornamentum; sed Sacerdos insuper est illius oculus et basis: illa est utique Deo consecrata; sed non tam so-

(1) Thren. IV, 13.
(2) Idem ibid I, 6.
(3) 1.a ad Corinth. I, 23.
(4) Thren. IV, 1.
(5) de lapsu virg. consecrat. c. 4, n. 3, et seq.

lemni ritu, augustis cærimoniis, et sacris unctionibus, sicut iste: profitetur et prima sanctitatis nomen, et ordinem; at hic magister est sanctitatis, et velut apis in alveario sanctæ Ecclesiæ ad examina multa ferventium christianorum producenda electus est. *Si porro illius nubecula peccatricis pene totam lucem obscuravit Ecclesiæ*, an non inferre potiori jure possumus Ecclesiam Christi obscurari, si iste ex ape vespa factus impietatis venenum diffundat? profecto: effundit quippe suo exemplo sanguinem justorum (1), qui gloria sunt matris Ecclesiæ. Necantur enim justi, quia per scandala Sacerdotum iniquitatis via lubricatur, et illorum exemplo adlecti in culpæ delabuntur abyssum.

En cur queratur Ecclesia, in pace amaricari amarissime (2): est enim pax bello crudelior: est quies laboris campo infensior. Nam, est pax a paganis, ab hæreticis manifestis, sed non a filiis (3). A quibus? A non paucis eorum, quos ordine primos considerat, dignitate cæteris nobiliores, professione aliorum custodes, capita populi, fidei defensores, pietatis doctores, Apostolos Christi, qui a Redemptore ad tam excelsum gradum vocati fuerant, ut vigilarent die nocteque, ne aper de sylva, aut fera singularis depasceret vineam suam (4). Hi porro impium ineunt fœdus cum ejusdem hostibus sibillantibus; hæccine est urbs perfecti decoris, et gaudium universæ terræ (5)? Non Nostra, sed Divi Hieronymi est sententia: veteres scrutans historias invenire non possum scidisse Ecclesiam, et de domo Domini populos seduxisse præter eos, qui Sacerdotes a Deo positi fuerant (6). Heu nimis! Si nunc a libertinis conviciis impetitur, divina ejus auctoritas negatur, libertas oppugnatur, magisterium impugnatur, jurisdictio in diem coarctatur, jura conculcantur, possessionibus suis spoliatur, et sub tributo et servitute redigitur Ecclesia, quæ a suo Fundatore cœlesti populorum Domina constituta est, quinam illos præive-

(1) Thren. IV, 13 (2) Isai. XXXVIII, 17.
(3) Serm. S. Bernard. ad Pastor. in Synod. (4) Psalm. LXXIX, 14.
(5) Tren. II, 15. (6) Comment. in Osee lib. II, c. IX, vers. 8.

runt ad hoc persecutionis incendium excitandum, nisi Sacerdotes, de quibus est sermo, quorum plures verbis, et scriptis quasi illæ vulpes memoratæ in Scriptura ignem in caudis trahentes (1) per agros Ecclesiæ cursitarunt, ut reverentiæ, et obedientiæ erga supremum ejusdem Caput visibile, unitatis, et pacis cum ipsa fructus succenderent; omnia religionis negotia susque deque ferrent, matremque demum suam eviscerarent, diceret S. Bernardus, ut se in honorem parerent (2)?

At non honorem suis malefactis, sed ignominiam, excrationemque adepti fuere apud illosmet, quorum favore gloriabantur. Neque enim aliter res se habere poterat, cum lex lata sit, Malachia præcone: nunc ad vos, Sacerdotes... qui recessistis de via... et irritum fecistis pactum Levi... propter hoc dedi vos contemptibiles et humiles in omnibus populis (3); et alibi interminat cœlestis ultor: qui contemnunt me, ignobiles erunt (4). Quod experientia ipsa magistra nullo non die impleri compertum est. Etenim, quamquam Laici aliquando hujusmodi Sacerdotes coram laudibus efferre videantur, et velut urbanos homines absque præjudiciis, illuminatos, sapientesque prædicent, atque commendent: attamen illis absentibus irrident, canino mordent dente, illorum vitia buccinis propalant, eorumque personam maledictis lacerant, in proverbium, et in fabulam vulgi traducunt (5). Quo enim sæculares laxioris ethices sectatores in propriis tuendis vitiis, et suis indulgentiores sunt cupiditatibus; eo magis rigidiores, exigentioresque se produnt, cum de Ecclesiasticorum moribus agitur; hosque detestantur, et tamquam sal infatuatum spernunt, si eorum vita characteris sanctitati non respondeat... Justus es Domine, et rectum judicium tuum (6)! Justum quippe est, ut illi confundantur ab hominibus, quos jam sprevit Deus (7).

(1) Judic. XV, 4.
(2) Loc. citat. n. 15.
(3) Malach. 11, 9.
(4) 1.° Reg. 11, 30.
(5) Deuteron. XXVIII, 37.
(6) Psalm. CXVIII, 137.
(7) Psalm. LII, 6.

Utinam autem isti soli in subsannationem et in derisum ponerentur (1)! Verum illorum culpis totus cœtus noster ab impiis consociatur. Quod bene ante denuntiavit S. Augustinus: quid aliud captant isti, inquit ipse, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non posse manifestari (2)? idest bonos etiam in suspicionem malam traducunt, quasi ejusdem furfuris sint, sed astutiores illis in tegendis suis delictis, ne ad notitiam prosiliant, non reapse meliores.

Hinc caussam intelligite, V. Fr., illius conjurationis adversus Christos Domini, ob quam in id consilia conferunt inimici crucis Christi (3), ut Clerum deprimant, ejus prærogativas convellant, populorum odio subiiciant, redditibus spolient, ut ad mercenariorum conditionem reducant. En ratio, cur hodiernis temporibus maledicamur, persecutionem patiamur, blasphememur, habeamur tamquam hujus mundi peripsemata (4), et insania in domo Domini (5)! cur ponamur in contradictionum signum, vituperetur ministerium nostrum, et ordo ipse, quo insigniti sumus, in opinione vilescat multorum! paucorum delictum omnibus commune illi adstruunt mala quidem argumentatione; sed ea, quæ familiaris est mundi hujus amatoribus malignantibus in nos. Non somnia hæc sunt, nec mentis Nostræ effervescentis figmenta; sed eorum sunt historia, quæ fere quotidie evenire vos non prætèrit, Ven. Fratres, jam prævisa et comminata nobis septem circiter ab hinc sæculis per revelationes a sancta abbatissa Hildegarde virgine habitas, cujus sequentia verba hac nostra ætate scripta videntur: Principes et temerarius populus super vos, o Sacerdotes (qui me (Deum) hactenus neglexistis), irruent, et vos abiicient, et fugabunt; et divitias vestras vobis auferent pro eo, quod tempus Sacerdotalis officii vestri non attendistis: et de vobis dicent: adulteros istos, et rapto-

(1) Psalm XLIII, 14.
(2) Epistol. LXXVIII, ad Cler. et ad Seniores n. 6.
(3) ad Philip. III, 18. (4) 1.a ad Corinth. IV, 13. (5) Osee IX, 8.

res, et plenos omni dolô ab Ecclesia eiiciamus: et in hoc facto obsequium Deo se exhibuisse volunt, quia Ecclesiam per vos pollutam esse dicunt: unde Scriptura dicit: quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum (1); nam permissione Dei super vos in judiciis suis fremere incipient plurimæ gentes, et multi populi meditabuntur inania, cum Sacerdotale officium vestrum, et consecrationem vestram pro nihilo computabunt (2).

Quid plura? si Nos bella, perduellium seditiones, aliasque publicas calamitates, quibus identidem Deus regna et imperia quatit, Sacerdotum peccatis potissimum adscribenda esse diceremus, forsitan vos, Ven. Fr., dictis fidem detrectaretis, vel exagerationis stigmate verba inureretis Nostra: attamen et sanctus Gregorius magnus Sacerdotes alloquens, dixit: quanto autem mundus gladio feriatur, aspicitis; quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis: cujus hoc nisi nostro præcipue peccato agitur ?. Ecce depopulatæ urbes, eversa sunt castra, Ecclesiæ, et monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt. Sed nos pereunti populo auctores mortis extitimus, cui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est, quia succedente nostra negligentia ad vitam erudita non est (3); et piissimus, aeque ac perdoctus memoratus Massillonius pariter in Synodali conventu non absimilibus verbis suum monebat Clerum: *che so io, se i tristi castighi, de' quali i nostri popoli sono percossi ogni giorno, se le nostre campagne desolate, se gli avvenimenti i più tenribili e singolari, che sembrano riunirsi per compiere di opprimere un popolo già cotanto languente, e miserabile . . . Che so io, se tutti questi flagelli non sono castighi d'un Dio oltraggiato ne' suoi misteri, e ne' suoi benefizi ? . . . spetterebbe a noi come mediatori tra Dio e gli uomini a prevenirli, e sospenderli; e forse siamo noi soli, che gli*

(1) Psalm. II, 2.
(2) Confer. ejusdem epistol. in Bibliothec. maxim. P.P. Tom. XXIII, pag. 582.
(3) Homil. de cura Pastoral. n. 17

attiriamo sul capo. Forse il braccio della collera di Dio non si è alzato, che per vendicare le nostre profanazioni, le nostre irriverenze: forse noi che dovemmo essere i ministri della riconciliazione di Dio cogli uomini, noi siamo il solo obbietto de' suoi furori, e delle sue vendette. No, miei fratelli, leggete i libri santi; i peccati dei preti non restano giammai impuniti (1).

Hæc perdolenti animo recensuimus mala, non ut occasionem præberemus libertinis eam quærentibus linguas suas, sicut novacula acuta exacuendi adversus istos fratres nostros, et viperina sævitie obloquendi in cœtum ipsum (quamquam ecquis recensita ignorat?); sed ut comprobaremus eo modo, quo radice arborum corrupta, folia et trunci arescunt; ita Sacerdotio sauciato Dei gloriam obfuscari, populum corrumpi, Ecclesiæ sanctitatem commaculari, Clerum contemptibilem reddi, societatem diris subiici flagellis, tabemque incredulitatis serpere per omne Ecclesiæ corpus. Utrum hæc omnia probaverimus, nec ne, vobis, Ven. Fr., abundanti Domini gratia præstantibus. et animarum zelo succensis, ut estis, judicandum relinquimus. Interea Nos ad hujusmodi fratres, si qui essent inter vos, conversi sic eosdem alloquimur: veniet, veniet tempus, quo rationem eritis reddituri supremam vivorum, et mortuorum Judici (2)! Quid eritis miseri tunc dicturi, quem patronum rogaturi, quam excusationem adlaturi, cum Christus occurret vobis, quasi ursa rapientibus catulos suos (3), victimarum sanguinem, quas declinastis in profundum (4), repetiturus? Audite Apostolum: interficiet (eos) spiritu oris sui, et destruet (eos) illustratione adventus sui (5). De furore Omnipotentis bibetis (6); quia cum positi fueritis, ut ministerio vestro fideles ad vitam perduceretis æternam, diaboli instrumenta impia conversatione facti fuistis, et ruina multorum ad illos in gehennam detrudendos. Quam tolerabilius pro vobis fuisset propriis tantum consumptos

(1) Oper. citat. discours XI sur la décence des cerimonies.
(2) Act. X, 42. (3) Osee XIII, 8.
(4) Idem V, 2. (5) 2.a ad Thessal. II, 8. (6) Job. XXI, 20.

fuisse vitiis in laicali statu, quam in multos vitiorum contagium diffudisse Clericalis gradus imprudenti electione, et sic tot mortibus in Divino judicio reos constitui, quot impietatis socios, vobis antesignanis, in inferni barathrum intulistis!. Pavor tenet me, tremor, et omnia ossa mea perterrentur, et inhorrescunt pili carnis meæ (1) districtissimum hoc judicium, et exquisitissimam hanc pœnam meditantem! et ideo huic qualicumque epistolæ verbis laudati S. Gregorii finem imponimus: timeamus hæc, Fratres, conveniat actioni nostræ ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum quotidie relaxatione cogitemus, ne vita nostra peccatis obbligata remaneat... consideremus sine cessatione quid sumus, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscepimus, faciamus quotidie nobis rationes, quas cum nostro Judice habebimus, et sic debemus agere curam nostrum, ut non negligamus curam proximi, ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur (2). Plenissimam benedictionem a Sacerdote in æternum Episcopo animarum nostrarum (3) vobis ominantes, Ven. Fratres, pastoralem Nostram in illius pignus peramanter impertimur. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen (4).

Aquis e Palatio Nostro Episcopali die XX Novembris MDCCCXLIII.

✠ Fr. MODESTUS Episcopus.

Fr. LAURENTIUS ab Olianico Cappuc. a Secr.

(1) Job IV, 14, 15.
(2) Loc. citat n. 10.
(3) 1.a Petr. II, 25.
(4) 1.a ad Thessal. V, 28.